



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

6 Quid sit metus, & an causet inuoluntarium, vel saltem illud diminuat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



concupiscentia enim alicuius obiecti non sinit intellectum difficultates considerare, quae possent ab eius proiectione remouere, & consequenter non reddere voluntatem ita expeditam ad operandum. Ideoque dixit Philo sophus, *Trahit sua vnumquemque voluptas*. Quia ratione leuiores iudicatur peccata, quae ex aliqua passione fiunt, quam quae solum ex malitia, & iuramenta, vel vota facta passione aliqua praedominante facilius relaxantur, quia non censentur ita libere facti. Infertur ergo iram, & concupiscentiam, & quamlibet aliam passionem voluntarium liberum minuere. & ita docet D. Thom. *supra*. Valent. Valquez, & Medina *ibi*. Azor. *lib. 1. c. 17. quest. 1. Salas tract. 3. disp. 3. sect. 1. numer. 47. §. dico 3. Villalobos tract. 3. diff. 7. num. 5.*

Verum si voluntarium non sumatur pro libero, sed pro eo, quod oritur à principio intrinseco cum cognitione, concupiscentia, ira, & quolibet alia passio voluntarium auget potius, quam minuit: quia experimento constat ea, quae ex passionibus appetimus, efficacius appetere. & ita docuit Nauarr. *sum. pralud. 6. numer. 7. Villalobos, Valencia supra. Salas numer. 49. c. mel. 4.*

3 Ex hac doctrina infero contractus factos spe acquirendi aliquod praemium validos esse, & firmos: quia talis spes non minuit voluntarium, sed potius auget, & liberum non tollit quia ratione si proficere religionem spe consequendi praetiam, valida est professio, ut docet Nauarr. *com. 2. d. regul. rib. numer. 67. vers. Adhuc decimotertio*. Item si institutus haeres, si Mariam duxeris, valet matrimonium, ut late probat Sanchez *lib. 1. de matrim. disputat. 33. numer. 7.* quia non obligat ad matrimonium pena amittendi lucti, ad quod habeas ius, sed potius spe, & concupiscentia praemij tibi non debetur.

4 Secundo infero, exorta blanditiis, & amatorijs verbis obnoxia restitutioni non esse, ac proinde si meretrices vitra stipendium sibi debitum, blandis, & amatorijs verbis extorqueant, restituere non debent, quia non inferant inuoluntarium, secus vero si dolo, & fraudibus ut si dicent se à nemine esse cognitum, vel non nisi à Principe sic teneat Sotus *lib. 4. de iustitia. q. 7. art. 1. in solut. ad 2. Mol. rom. de iust. tract. 2. disp. 94. §. si fornicariis. Guriert. qq. cans. lib. 1. cap. 37. num. 19. Bao. 2. 2. q. 62. a. 5. d. 5. concl. 2. Salon. ibi conuenerit 4. post. 3. concl. Th. Sanchez alios referens lib. 4. de matr. disp. 1. n. 2.* Ex qua doctrina inferet etiam ipse Sanchez, cum Gregor. Lop. Auiles, Montalto, Menoch. & alijs, non vitari testamentum, quod vir ductus blanditijs vxoris in ipsius fauorem confecerit, quia non efficiunt inuoluntarium.

PUNCTUM VI.

Quid sit metus, & an causet inuoluntarium, vel saltem illud diminuat.

- 1 Expenditur definitio metus.
- 2 Quae duplex sit metus.
- 3 An electio maioris mali, ut minus vitetur, sit aliena à viro conitante.
- 4 Quae ratione metus causet inuoluntarium.
- 5 Explicatur in quo consistat inuoluntarium.

1 **M**etus est instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio. ita Vlp. *in l. 2. ff. de eo quod metus causa*. debet enim esse malum instans, seu mox futurum, bonorum enim (etsi graue sit) mentem non turbat, quia non apprehendimus efficaciter euentum, & tradit optimè glossa in *cap. ad audientiam, de his que vi metusue causa fiunt, verbo causa*. Si tamen daremus malum probabiliter euenturum fore etiam post longum tempus, neque facile occurrere posse, satis esset ut vit constans timere illud possit. Et ratio est, quia tunc non tam malum, quam suspicio probabilis illius metum inducit. iuxta *l. nonisimo. ff. quod falso timore. ibi. quid enim si metu compulsus, aut metuens ne compelleretur. & tradit Sanchez. innumeros referens lib. 4. disp. 1. num. 17. Basil. de Leon. lib. 4. disp. 1. num. 17.* Neque obstat *l. metum praesentem ff. de eo quod metus causa, vbi* negatur suspicione metus sufficere, sed intelligi debet de suspicione vana, & non bene fundata, ut Basil. & Sanchez *supra* explicant.

2 Duplex est metus, alius grauis, alius leuis, alius iustus, alius iniustus, alius probabilis, alius improbabilis, alius cadens in vitum constantem, alius in inconstantem. Metus grauis, iustus, probabilis, cadens in vitum constantem idem est diuersis modis appellatus. Dicitur grauis quia est de graui maloiustus, & probabilis, quia iustus, & probabiliter leges sic operantur exstant. Cadens in vitum constantem, seu constantissimum, (quod idem est) ut dixit Iuriconsultus in *l. metum la. 2. ff. de eo quod metus causa*, qui fortitudinis, & constantiae non obit, non enim sic operans amittere debet constantiae, & fortitudinis laudem, cum timore maioris mali minus malum subeat, si enim quis patiarur iacturam bonorum, ne vitam amittat, &

vitam ne peccatum perpetret, fortis & constans debet reputari. Econtra metus leuis, & vanus dicitur, qui de leui malo, & non timendo habetur iniustus, & improbabilis quem nec iura approbant, sed potius improbant, ut iniustum, & motum ex illo ut inconstantem censent.

3 Hinc oritur difficultas, an si eligas maius malum, ut vitas minus, v.g. peccatum ut vitas infamiam, vel amissionem bonorum, vel mortem, censetur moueri metu vitii constantis? Communis sententia negat, saltem si admittas peccatum mortale, quia contra virtutem constantiae facis, cum maius malum minori praeponas, & iacturam animae praeter iacturam corporis, ita docent innumeri relati à Sanchez *lib. 4. de marim. disput. 2. num. 1. Valent. 2. part. disp. 10. quest. 3. p. 1. Comitol. lib. 2. resp. mor. qu. 2. §. quatuor quatuor. Verum mihi dicendum videtur grauem metum secundum leges, & iura, & in ordine ad contractus non esse considerandum comparatione electionis, sed comparatione obiecti: atque ad hoc si obiectum graue sit, & de se sufficiens mouere quemlibet vitum constantem, etiam minus malum sit, quam quod de facto eligis si sine dubio erit metus cadens in vitum constantem, saltem legaliter, quia leges ciuiles, & Ecclesiasticae reincidentes contractum ex metu, non attendunt, an constantem, vel inconstantem secundum mores patiens metum procedat, sed an grauius iacturam eius voluntas: cum autem haec grauis iactio contingat, siue eligas peccatum, siue non, dicendum est esse metum sufficientem vitii constantis, & ita docet Th. Sanch. *lib. 4. disp. 2. m. 3. Basil. de Leon. lib. 4. c. 3. m. 2.**

4 An vero metus causet inuoluntarium? Respondeo cum D. Thom. & communi Theologorum sententia *1. 2. q. 6. art. 6. facta ex metu voluntaria esse simpliciter, & absolute, & secundum quid inuoluntaria*. Quia ea, quae fiunt ex metu, absolute ex voluntate fiunt, cum possent non fieri. Eligunt enim, v.g. ad vitandam mortem iacturam bonorum, quae potest non eligi: eligunt voluntarie, & libere simpliciter. Et quia cum tristitia, & displicentia eligunt, eo quod incommoda, & molesta reputant, idcirco talis electio mixta est inuoluntaria. Quae de causa in *l. cum propterea. C. de hered. instit. dicitur: potius enim quamuis inuenit domino nulli adire. Et in l. si mulier 2. §. si metu coactus el. 2. ff. de eo quod metus causa dicitur, quia quauis si liberum esse voluisset, tamen coactus voluit. Ergo voluntas coacta, voluntas est, ut dicitur in *cap. merito 15. quest. 1.**

5 Sed adhuc non videtur satis explicatum, in quo sita sit ratio huius inuoluntarij: non enim consistere potest in electione minoris mali, ex effectu vitandi maius: nam vitare maius malum, bonum quid est, & à voluntate appendendum. Ergo etiam est appendendum medium necessarium ad consecutionem huius finis: cum autem electio minoris mali sit medium necessarium: efficitur sane hanc electionem appetendam esse, ac proinde non posse esse vilo modo inuoluntariam, sed summè voluntariam.

Dices, veram esse electionem minoris mali non posse esse voluntariam, ex affectu vitandi maius malum, seu quatenus est medium ad vitandum illud. Et esse inuoluntariam secundum se, eo quod non eligeretur, si malum illud vitari alia via posset: non enim proliceres merces in mare, si mortem sperares vitandam absque illa iactura: neque potionem fumeres, si ab infirmis acque liberaretis.

Sed contra. Nam vel habes hunc actum, non facere bonorum iacturam, nisi ad vitandam mortem, vel non habes. Si non habes, iam electio minoris mali non est vilo modo inuoluntaria formaliter, cum non sit repugnans voluntati, etiam secundum actum elicentem, sed ad innumum est inuoluntaria, virtualiter, & interpretatur: quatenus censetur voluntas sibi relicta, secluso illo timore maioris mali non factura talem electionem: si vero habes illum actum conditionatum, praeterquam quod non videtur necessarium, ut voluntas inuoluntaria aliquo modo sit, est repugnans honestati debita, & rectae rationi, ut si quis ex timore aeternae poenae obtemperat diuinae praepcepta, alius non obtemperaturus, peccaret quidem mortaliter, & in illam poenam incidere medio illo actu conditionato, quam obtemperando praepcepta intendebat vitare. Quapropter exitimo ad rationem inuoluntarij secundum quid sufficere, si quis prosequatur obiectum, in quo per simplicem displicentiam displicet. Neque enim non potest sustinere, electionem mortis sibi imminuentem, ut in libidinem consentiet, electionem mortis sibi imminuentem, ut in illa displicere: sed quia huiusmodi displicentiam praepcepto Domini, & timore mortis aeternae vitat: idcirco talis electio inuoluntaria, & meritoria fuit neque ex inuoluntario, hanc electionem merito fuit illi minus, sic explicant voluntarium Valq. *1. 2. disp. 27. c. 2. Salas 1. 3. disp. 3. sect. 1. m. 4. 2.*

\* \*

\*